


F.K. VII
15

X2120403 Ha



Menter

58.

RECTOR
ACADEMIÆ WITTENBERGENSIS,
JOHANNES
Deutschmann/
SS. THEOL. DOCT. ET PRO-
FESSOR PUBL. EJUSDEM QVE COL-
GII SENIOR, ET ALUMNOR. ELECT.
EPHORUS,

CIVIBUS ACADEMICIS
S.P.D.





Hilosophiam mortis Christianam

Dicit multò intellexit & exercuit feliciùs Cardano, summo qvondam Mediolanensi Medico, subt' itat'um architecto, adversarioqve Julii Cæs. Scaligeri, piissima Matrona, ANNA MARIA NICOLAJA; cuius in memoriam hæc adornanda scriptio est. Sic enim vixit eadem, ut & familiarem sibi mortem cogitatione redderet freqventi, & Musonii præcepto, diem vitæ semper ultimum instare sibi, crederet. Hinc illa desideria, cùm claudere extremum iubetur, ad arbitrium moderatoris vitæ nostræ. Quid verò Cardanus ille? Cum recordor, inquit, (2. de utilit. ex adversis 5.) moritum me, non solum nihil tam suave est, aut triste, cuius non obliviscar, sed animo etiam lingvor; imò, solum cogitatione mortis deficit, ibidem addit. Φοβερῶν nimirum Φοβερώτατον, cum Stagira, mortem statuebat. Quantò rectius ex Stoâ Epictetus: Mors, & omnia, qvæ in malis habentur, ob oculos tibi quotidiè versentur; omnium verò maximè mors! sic nihil unquam humile cogitabis, nec impensè cupies quicquam. Gemina Romanus Sapiens: Nihil (scribit ad Lucilium) è quæ tibi proficit ad temperantiam rerum omnium, quam frequens cogitatio brevis erit, & bujus incerti. Quicquid facies, respice ad mortem. *ADEINTO* Ante senectutem, adjicit, curavi, ut benè viverem; in senectute, ut benè moriar; benè autem mori est, libenter mori. Morimur quotidiè: quotidiè enim demitur pars quædam vitæ; & tunc quoque, cum crescimus, decrescit vita. Infantiam amissimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam, usque ad hesternum. Quicquid transit temporis, perit. Hunc ipsum, quem agimus, diem, cum morte dividimus. Nec Apulejus aliter: Philosophum oportet nihil sic agere, quam ut semper studeat, corporis consortio separare animam; & ideo existimandum, Philosophiam esse mortis

tis

tis affectationem. An verò excusabimus *Cardanum*, qvòd ad extrema subeunda sèpenumérò pericula & tentationes morientium respexerit? Qvis enim nescit, etiam à Christiano nomine gaudentibus, cum ad tribunal Judicis mox apparendum est, à conscientiæ teneritudine exaggerari crimina commissa olim? accusari homines ab adversario humani generis? tūm mortis *Angelum* (si tribuenda fides foret nugacissimis Talmudicis Scriptoribus,) cum gladio ancipiti adstare, totum oculatum, tradunt, ad cervical morituri; acclamare tremefacto qvoqve dæmones, per ululatum: *Impiis pax nulla!* Seriò *Cyrillus Alexandrinus* aliàs testatur: Adsunt nobis exercitus & potestates tenebrarum, ut ipsi animæ vel adspectus solus gravior sit omni pœnâ, qvos intuens turbatur anima, horrescit, fremit, refugit, angetur. Taceo gravissima certamina, qvibus tunc potissimum insurgit contra animam. Sed nec is qvoqve hûc respexit, qvandoqvidem in corde humido & leporino causam posuit horroris sui; nec, ut debuit renatus sacro fonte, mortem propius cognovit. Quid, nisi figura, larva, somnus, imò janua & transitus ad vitam sempiternam mors piorum? Accuratè noverat hoc *omne Nostra*; qvæ verâ ideò fiduciâ in Servatorem Christum, contemnebat mortis metum, & optabat potius, beatè indormire. Hinc tot ipla aliis præibat sacra acroamata, & ex oraculis divinis consolationes. Loco nata honestissimo Parentem coluit insigni pietate, ac per reverendâ Amplitudine Præpositum *Clædensem*, optimè adhuc merentem, DN. CHRISTOPHORUM NICOLAI, Matrem Fœminam præcipuam, suiqve sexûs olim ornamentum, *ANNAM*, ex familia KREMBERGIORUM inclyta oriundam.. Ab his religiosè liberaliterqve ad virtutes educata nihil prius habuit divinioribus meditamentis atqve morum honestate. Post excessum Genitricis optimæ evenit, ut eligeretur Virgo Sponsa à Clarissimo Græcèq; ac Latinè non vulgariter eruditio Viro, DN. M. DAVIDE Winter Scholæ apud Nos Oppidanæ Con-Re store fidelissimo, dieqve VII. Augosti, Anno clc lcc LXXVII. deduceretur domum *Conjunx*. Quantâ animi concordiâ, qvâ favitate observaverit Maritum, qvâ dexteritate rexerit œconomiam, breviter edisseti haud potest. Fructum qvoqve retulit

FK 245691

multiplicem, cùm potioris sexūs duos, totidemq; pareret tene-
rioris liberos, DAVIDEM ABRAHAMUM, & JOHANNEM
CHRISTOPHORUM; ex filiabus primam extulit vi-
cisim, ANNAM MARIAM; postremam, MARIAM
CATHARINAM, pediseqvam materni luctūs hodiē reliquit.
Probitatis, patientiæ, ac in pauperes munificentia non modi-
cam repræsentavit inter suas laudem. Qvare toties, cùm mor-
bis conflictata pluribus, invicto stetit animo, nec temerè ob-
murmuravit; gnata scilicet, amari maximè à Deo, qvibus pro-
pior familiariorq; crux imponeretur ab illius manu medicā.
Die VIII. Octobris nuper, posteaqvā curis macerata libero-
rum domi suæ decūmbentium, satisfecisset debito, dejecta ipsa
ad feralem lectum, in febrim incidit acutam. Cui malo itum
qvidem obviam medicamentis & consiliis exquisitissimis me-
dientium, Virorum Expertissimorum, DN. SENNERTI
Nostrī, & SPERLINGII, Doctoris inclyti; non respondente ta-
men spei exitu. Haud erat in ambiguo, conjicere, qvām sor-
titura clausulam res foret. Animæ curator, Rev. plurimū
vigilantisimusq; Vir, DN. M. JOH. FABRICIUS, Archidia-
conus ad Marianam Ædem meritissimus, advocabatur ideo, ut
mysteriis divinis laborantem expiaret. Erigebat magis ipsam,
anteā sat animosam, per cœlestes cogitationes. Πληροφορία
incredibili ἀνάλυσι beatam anhelavit. Die duodecimo
prædicti mensis, horā post mediam nocturnam primā, dormi-
enti similis tranquillior apparuit, & inter preces medias adstantiū,
ætatis annum nonum & vicesimum, mensesq; X. super-
gressa, cum excessu qvatuor dierum & hebdomadum duarum,
mane exspiravit. Post pomeridianam I. hodiē dum efferendum
ejus funus est & concione decorandum agite, DILECTI CI-
VES, Viduo mœstissimo probate id officii, ut exeqviā orne-
tis comitatu solito frequentiori. Exigunt hæc mutuæ hu-
manitatis jura. P. P. a. d. XXIII. Octobris, An-

no salutis reparatæ c. I. oblo. alioq; et
X. annos in iustitia. XXIV. mutuo mœstissimo
probate id officii
exeqviā ornetis
comitatu solito
frequentiori

¶ (o) ¶

1077

mc



F.K. VII
15

Winter

X2120403

Z f
5691

58.

RECT
ACADEMIÆ WITTE

JOHAN

Deutsch

SS. THEOL. DOC
FESSOR PUBL. EJUSD
GII SENIOR, ET ALU
EPHORU

CIVIBUS ACAD
S.P.D.

